



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quæstio 1. An Ioannes fuerit in Deserto?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

CAPVT III.

IN diebus autem illis venit Ioannes Baptista predicans in deserto Iudææ. 2. Et dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum celorum. 3. Hic est enim, qui dictus est per Isaiam Prophetam dicentem; Vox clamantis in deserto; Parate viam Domini; rectas facite semitas eius. 4. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum, & zonam pelliceam circa lumbos suos; esca autem eius erat locuste, & mel syluestre. 5. Tunc exibat ad eum Ierosolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem. 6. & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua. 7. Videns autem multos Phariseorum, & Sadduceorum venientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira? 8. Facite ergo fructum dignum pœnitentie. 9. Et ne velitis dicere intra vos; Patrem habemus Abraham, dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham. 10. Iam enim securis ad radicem arborum posita est. Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 11. Ego quidem baptizo vos in aqua in pœnitentiam: qui autem post me venturus est fortior me est, cuius non sum dignus calceamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni. 12. Cuius ventilabrum in manu sua: & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum paleas autem comburet igni inextinguibili. 13. Tunc venit Iesus à Galilea in Iordanem, vt baptizaretur ab eo. 14. Ioannes autem prohibebat eum, dicens: Ego à te debeo baptizari, & tu venis ad me? Respondens autem Iesus, dixit ei: Sine modo, sic enim decet nos implere omnem iustitiam. Tunc dimisit eum. 16. Baptizatus autem Iesus, confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei caeli, & vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se. 17. Et ecce vox de caelis, dicens:

Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui.

IN CAPVT TERTIVM

ARGVMENTVM.

A N N O S pueritiæ & adolescentiæ Christi Matthæus silentio transmisit; ab anno autem trigésimo narrationem orsus, testimonium Ioannis initio posuit. Quod apud Iudæos & cum viveret, & deinceps summa semper auctoritatis fuit. Porro ipsum quoque Ioannem præcursores ex Propheta ostendit; simul ex habitatione, victu, vestitu, zelo, fructu concionum, fidem illi astruit. Nec modo Ioannis testimonio Iesus dictus est esse Christus, sed etiam patris cœlestis vox est audita idem contestans: quæ credentium fidem auget, infidelibus excusationem auferret. Hoc caput in Syriaca Ecclesia legitur ipso festo Epiphaniæ: Hoc est enim *ܕܗܝܕܗܐ ܕܕܥܢܚܐ* Deghida dedancha, a *ܕܢܚܐ* Denach, quod est ab oriente venire, oriri. In quibusdam libris malæ scribitur Renach. ob similitudinem literarum Dolath, & Risch, tam in Syro quam Hebræo. Cur vero eo die ista legantur, ratio est, quod eo die Dominum baptizatum arbitrentur Syri & Latini quoque & Græci, de quo postea.

VERSVS I.

In diebus autem illis, venit Ioannes Baptista predicans in deserto Iudææ.

QVÆSTIO I.

An Ioannes fuerit in deserto?

S. 1. **I**N diebus illis, quibus Nazarethi priuatim Dominus delituit, Iudæis nec pastorum præconio, nec Magorum aduentu, nec Simeonis & Annæ Prophetiæ, nec denique Herodis scœuitia excitatis, cum defecisset Dauidicam stirpem, & à Iuda translatum sceptrum cernerent, vt de Messia cogitationem susciperent; alia ergo agentibus, & vitiis suis secure indormientibus, derепente superintonat Baptista, veniens è deserto.

Leue est, quod magnum tamen Beza & Piscatori videtur, nempe interpretem latinum oportuisse vertere, *Temporibus illis*. nec memoratu dignum iudicarem; quia ita loqui constanter Hebræi solent; quia tamen non modo nostrum interpretem, sed Spiritus sancti sermonem corrigūt, tacere non debeo. Si enim

noster interpretes, dierum nomen vsurpare non debuit, sed temporum, ergo nec Matthæum ipsum, quem illi si male Græce scripsisse arbitrantur, dicere oportuit, *ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις*, In diebus illis, sed *ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις* vel ergo & autem, *καὶ τότε ἐκείναις*, Temporibus illis. Nam non est Græcis vsitatio in hac phrasi *ἐν ταῖς ἡμέραις*, quam nobis, *Dies*. Cum ergo Spiritus sanctus Græce loquens, Hebraïsmum retinuerit, vt est etiam in Syro, in illis autem diebus *ἐν ταῖς ἡμέραις*, optime etiam noster latine eundem ipsum expressit.

S. 2. In deserto, seu loco solitario Ioannes habitauit. Ita hoc loco testatur Matthæus. & Luc. i. v. ult. *deserto*, *καὶ ἦν ἐν ταῖς ἐρημίαις* *ἐκείναις* *ἐν ταῖς ἐρημίαις* *ἐκείναις* *ἐν ταῖς ἐρημίαις*. Et erat in desertis, vsque ad diem ostensionis suæ ad Iherosolimam. Hæretici nonnulli desertum olim interpretati sunt Montana Iudææ, domum suburbanam Zachariæ; Caluinus, Bullingerus, Beza, ceteri, cum singularem videant in Ioanne austeritatem vitæ exprimi, in eo sunt, vt desertum concedant quidem incoluisse, non tamen solitarium egisse. Bullingerum omnium loco audire lubet. [Locum vero, in quo pradicauit designat; prædicabat, inquit, in deserto Iudææ. Vbi non imaginaberis Ioannem instar Anachoretæ, ac eremitæ cuiusdam vitæ egisse extra hominum consortium in syluis; & inter feras. Tamen enim, *deserto*, *urbani*.

desertum in sacris fere videretur pro loco inculto, syl-
 us ac vepribus aspero, & feris magis, quam hominib.
 ad habitandum apto, sumitur tamen in presenti pro
 illa parte Iudææ, quæ in montes & pascua excurrens
 exurgebat, non tamen ab ijs vibibus, vicis & sine ha-
 bitatoribus ferarum lusu erat. Ad eundem enim
 modum dicitur & Diva Virgo abiisse in montana Iu-
 dææ, venisseq; in domum Zachariæ ad cognatam suam
 Elizabeth. Sed & Iob die tur mortuus & sepultus in
 deserto, in domo sua, 3. Reg. 2. Appellatur item Idu-
 mæ desertum 4. Reg. 3. quam tamen constat longe
 cultissimam fuisse. Ita Gentiles quoq; scriptores Hel-
 uetiam, non incultam tum quoq; terram, dixere Ere-
 mum Helueticorum. Infimissimis itaq; sulcis stru-
 cturam suam de Eremitis, vitæ monasticæ, ac syluiculis
 quibusdam fratribus impositurum, quicunq; huic ex-
 emplo Ioannis innixi, statuant monast. cam vitam à
 Ioannis exemplo fuisse profectam, ut iam non com-
 memorem, quod Ioannes prædicasse, non demur-
 murasse Psalmos, neq; otio inerti se laginasse legitur.]
 Calvus desertum metaphorice posuit imagi-
 natum pro ruina populi, qualis exilii tempore fuit,
 ipsam Ierosolimam, ait, ob confusionem hoc tempore desertum
 fuisse, non tamen visibilis deserti aspectum negat, sed
 illo indicatam spiritalem solitudinem.

Nos primo constituimus Montana Iudææ, & de-
 sertum Iudææ non esse eadem loca; verum omnino
 distincta. Montana enim Iudææ erat, ubi Hebron, aliæq;
 vrbes nobiles conditæ; desertum vero Iudææ; quod
 hoc loco ponitur, prope Iordanem, atq; adeo Iericho e-
 rat, de quo Ier. 52. 8. Et apprehenderunt Sedeciam in deserto,
 quod est iuxta Iericho. Nec dubito idem esse desertum, de
 quo Matth. 4.1. Deinde Marci. 1. 3. Fuit Ioannes in deserto
 baptizans, ad hoc desertum ibant ut viderent eum; Matt. 17.
 Erant & alia deserti circa Iordanem, Matth. 15. 33.
 Baptizavit autem in Enon, & Salin, Ioan. 3. 23. Itaq;
 quæ ab Antonio Aranda in descriptione Iudææ adse-
 runt c. 3. 4. suspectæ fidei sunt.

Deinde de deserto illi, quæ multa in Iudæa recen-
 sentur, non erant omnino inhabitata, ut omnes consen-
 tiunt, sed tamen erant in illis petra, arena, al. aque lo-
 ca, quæ solis ibicibus perua erant, quæq; soli non po-
 terant. Sic Christus erat in deserto non cum homini-
 bus, sed cum bestijs; et igitur otus d. ferti illius tra-
 ctus, non erat inhabitabilis, sibi tamen Christus lo-
 cum inhabitabilem delegit, in quo cibis haberi aliter
 non poterat, nisi lapides isti panes fierent. In deserti
 loco ubi Ioannes degebat, locustæ, & mel siluestre in-
 ueniuntur, quod in loco, ubi Christus tentabatur
 non erat, poterat enim in necessitate eo vesci.

§. 3. His constitutis facile est probare Ioannem in
 vera horridaq; eremo, ab hominum consuetudine se-
 gregatum vixisse. Cum enim domus patris eius fuerit
 in Montanis plus itinere bidui ab eo deserto in quo
 habitauit, non fuit causa, cur parentes iustos, prophe-
 tas, senio graues desereret, si in aliorum consortio, &
 quidem deteriorum victurus discessit. Tali in deserto
 homines egisse, & in eorum ædibus Ioannem versatū
 nemo dixerit, & cibus ipse, vestisque aliud loquitur.
 Deinde eadem deserti species est, apud Isaiam c. 40.
 cum ait, vox clamantis in deserto, at illud verum, iniuriam,
 nec habitatum desertum erat, igitur & illud, quod Io-
 annes inhabitabat. Deniq; quemadmodum cibus &
 vestis austeritatem vitæ summam habebant, ut nec e-
 dere, nec bibere diceretur, ita quoq; habitatio par e-
 rat, ut in ædibus non versaretur. Vereditum antiquitatis
 namque quæ nomen tuum nouerint, vultum nesciant. Nam
 Ioannes Baptista sanctam matrem habuit, Pontificisque filius
 erat, & tamen nec matris affectu, nec patris opibus vincebatur,
 ut in domo parentum cum periculo viuere castitatis. Vnebat
 in eremo, oculis desiderantibus Christum, nihil aliud dignaba-

Adami Conzen in Euang. Tom. I.

tur aspicere. Vestis aspera, Zona pellicea, cibus locustæ, & mel
 syluestre, omnia virtuti & continentia preparata.

Consentiunt veteres; Origenes hom. 11. in Lucam
 Epiph. hæ. ef. 63. Euf. b. l. 9. demonstr. Euang. c. 5. Hier.
 aduers. Lucifer. & Ep. 4. ad Rustic. Chryl. hom. 16. in
 Matth. catech. omnes, qui Ioannem in Eremita habi-
 tasse, & Monachalis fundamenta vitæ posuisse tra-
 dunt. Vide Canisium de corrupt. V. Dei.

§. 4. Fallunt igitur apostata Monachorum, cum
 negant Ioannem Eremiticam egisse vitam. Quod sum-
 enim attinebat, monere, in deserto eum egisse, in op-
 pidis habitauit; Deinde cæliben, pauperemq; vitam
 egit, nec ante diem ostensionis suæ quicquam publice
 in Ecclesia administravit. Vestitu etiam singulari vsus
 est. Verum hæc in re nemo nisi contentiosus litem su-
 scitarit. Cibus indicat abdicasse hominum consortia.

§. 5. Irenæus l. 3. c. 9. Ex hoc loco concludit, vñum
 & eundem esse Deum veteris & noui Testamenti. V-
 nus igitur & idē Deus est, pater Domini nostri, qui & præcur-
 sorem per prophetas missurum se promissit; & salutare suum, id
 fore præ-
 est verbum suum visibile effectū omni fieri carni, incarnatum
 & ipsum, ut in omnibus manifestus fieret Rex eorum.

Eum & contra Arianos olim vsurparunt patres. Si
 enim Ioannes vox, & is qui sequitur præcursorē, ver-
 bum est; Si præparat viam ante faciem Dei, ante faciem

meam inquit, Deus igitur est, cuius est præcursor Ioan-
 nes. Et propterea, (Epiph. hæ. ef. 69.) Ego vox clamans
 in deserto, Vox est preparatiua auditus hominum. Primum
 enim inarticulatam vocem sonantem reddere solent clamantes, Christus
 è longinquo vocantes eos, qui ab ipsis aliquid audire debent. Et ergo Deus,
 ubi illi vocem solam audierint, & mentem ad audiendum con-
 uerterint, aureq; preparauerint, tunc is qui sonantem vocem
 emisit, de cætero distinguit sermonem, quem dicere voluit. Sic
 etiam Ioannes vox fuit, aures hominum preparans. Non enim
 erat ipse Verbum, sed post ipsum venit verbum, propter quod
 preparatiua vox fuit, siue facta est. Et propterea dicit, Vox cla-
 mantis in deserto preparate vias Domini. Vox enim preparat,
 Dominus autem ingreditur vias preparatas. Et vox loquitur,
 ut præbeant audientiam. Vbi vero auditus otium egerit, tunc
 sermo in aurem suscipientium mittitur. Nusquam igitur re-
 prehendet Arius & eius complices Dei veritatem, semper illu-
 minantem corda fidelium, ut ne euerantur à salute in verbo
 filio Dei in veritate incarnato, & semper genito.

VERSVS 2.

Et dicens: Pœnitentiam agite, quo-
 niam appropinquat regnum cœ-
 lorum.

QVÆSTIO II.

An iusserit pœnitentiam agere?

§. 1. Non est ad Deum reditus peccatori, nisi per
 viam pœnitentiæ. Qui enim nocuit, recon-
 ciliari non potest, nisi retractet, factum nolit, atque e-
 mender. Magno conatu nominis vim, ac deinde rem
 ipsam ex animis hominū amouere diabolus conatur.
 Omnes Caluniani sedulam illi operam præstant, &
 ne pœnitentiæ nomine offendantur, Resipiscen-
 tiam subitunt, minore vocabuli damno, si non sensu et-
 iam nouatores essent. Beza breuiter omnia complecti
 conatus est. Vulgata: [Pœnitentiam agite. Erasmus
 quoq; eodem modo. Sed addidit, vitæ prioris, quam
 interpretatione multas ob causas repudio, sed ob eam
 potissimum, quod multi impetiti occasionem ex hoc
 dicendi genere arripuerint fallarum opinionum de
 satisfactione, quibus hodie agitur Ecclesia. Cæterū
 me (arrogant) quum est verbum absolutum, proprie signi-
 ficat, post factum sapere, & de errore admissio ita dole-
 re, ut